

pellendam Caesareo-Regiam Benignitatem et Clementiam occurrerent reflexiones, ad quas discutiendas et in suum ordinem redigendas, quemadmodum et ad fundi, pro futura etiam Salariorum Militarum viribus et potestati miserae Contribuentis Plebis approporciandorum necessitate, suffecturi disquisitionem erruptionemque, sub Praesidio Illustrissimi et Reverendissimi Domini Francisci Thanzy, Electi Episcopi Bosniensis, Praepositi S. Joannis de Develik, et suae Caesareo Regiae Majestatis Consiliarii, Supratitulum Dominum Illustrissimum Baronem Stephanum Patachich de Zajezda, Illustrissimum ac Reverendissimum Dominum Baronem Adamum Patachich de Zajezda, Praepositum S. Benedicti de Kaposfö, et Canonicum Zagrabiensem, primum Kostaniczensem, posteriorem vero Dubiczensem Comendantes, Dominum Regni Vice-Banum, et Zagrabiensis et Crisiensis Comitatum Supremum Comitem Joannem Rauch, Dominum Georgium Pogledich Sacrae Caesareo Regiae Majestatis Collonellum Glinanum Comendantem, Unum ex Nunciis Venerabilis Capituli Zagrabiensis, Dominum Gabrielem Skerlec, ejusdem Suae Majestatis Sacratissimae Vice-Collonellum et Jessenovicensensem Comendantem, Proto-Notarium Joannem Busan Banalis, et Josephum Magdich Judiciariae Regni Tabularum Assessores, et suarum Imperatoriarum Regiaeque Majestatum Consiliarios, Vice-Comites Comitatum, Dominum Exactorem Regni Franciscum Kussevich, et pro Actuario Zagrabiensis et Crisiensis Comitatum Juratum Notarium ordinarunt constitueruntque Deputatos, Operis sui Relationem Inclytis Dominis Statibus et Ordinibus facturos. Quarum Litterarum tenor talis est.

Excellentissimi, Illustrissimi, et Reverendissimi, Spectabiles, ac Magnifici, Perillustres item, et Generosi Domini, et Amici mihi Colendissimi, Obseryandissimi.

Gratissimae mihi fuerunt eae praetitulatarum Dominationum Vestrarum honoratissimae Litterae, quas ex Conferentiali suo Congressu sub 20. praeterlapsi Mensis Julii celebrato, in merito Regulationis Confiniorum Banalium, ad me dediderunt. Ex quibus sicuti peculiari cum consolatione intellexi singularem earundem fervorem, quo mediante inde a Saeculis erga Augustissimam Domum Austriacam intemerate comprobata fidelitatem Devotionemque Suam perinde ulterius ac noviter contestari cupiunt, quod juxta Clementissimam eamque Maternam Majestatis Caesareo Regiae in Conservationem commodumque Charae hujus Patriae tendentem intentionem, Regulationem Confiniorum Regni Croatiae Banalium, Communibus Concordibusque votis projectaverint per sese promovendam et secundandam, ita Annotata in praemissis Inclytorum Statuum et Ordinum Conferentialiter Congregatorum Litteris, quaeipiam praefati Regni Jurisdictionem, Banalem Authoritatem, Praerogativasque suas et Privilegia, per Gloriosos olim Hungariae Reges concessa, ac per modo gloriosissime Regnantem Majestatem Sacratissimam confirmata, pro praefatae etiam regulationis casu illibate conservanda, concernentia puncta et reflexiones, denique desiderium et Postulatum eorundem, ut in casu insufficientiae Fundi Regnicolaris, pro Instructione et Intentione memoratae Confiniariae Militiae requisiti, subsidium quodpiam ex Aerario Caesareo Regio eum in finem quottannis resolveretur, uberius percipiens, non deeram partibus meis cuncta ea Augustissimae Dominae humillime referre, et pro ea, qua inde a principio suscepti Officii mei Banalis in omnigenam Inclyti hujus Regni felicitatem, Praelibatarumque Dominationum Vestrarum commodum et emolumentum procurandum feror teneritudine et sincera animi mei propensione, demississimas vices meas, vel ideo etiam interponere, quod